



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 31. Catholici hoc Decreto offensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. quietis studiosissimum plenis buccis de  
A. C. 1544. prædicabant.

## §. XXXI.

*Catholici hoc Decreto offensi.*

*Steid. p. 516.* Attamen quo magis Lutheri fautores triumphare conspiciebantur, eo gravius Catholici affligebantur, palamque hoc Decretum impugnabant, quin imo Sedis Apostolicæ Nuntius illud prorsus nullum irritumque esse declarabat: verum Imperator, cum ei Viri ad promovenda illius studia aptissimi minime deessent, Nuntio hæc in responsis dedit: „Validis omnino rationibus expugnatus hæc indulsi; cum enim Lutheranorum factionem Catholicis potentia plurimum prævalere cernerem, merito timebam, ne Protestantes me ad pejora compellerent. De cetero in hoc Decreto reipsa nil amplius statuitur, nisi quod Religionis dissidia, eorumque decisiones ad proxima Imperii committantur. „ Hæ rationes animos sedabant Catholicorum, qui etiam Decretum, quamvis illud ceteroquin Religioni valde noxium fore censerent, consensu suo firmabant, eo quod sese Cæsaris potentia opponere non auderent. Verum hæc agendi ratio tantopere summo Pontifici displicuit, ut sese haud continere posset, quin in amaras omni-  
no

no querelas erumperet, imo non so-  
 lum ob hoc Decretum in comitiis edi-  
 tum affligebatur, sed vel maxime ideo  
 indignabatur, quod Carolus V. cum  
 Henrico Angliæ Rege capitali Ecclesiæ  
 inimico armorum societatem iniisset, ac  
 insuper omnia consilia quantumvis pro-  
 ficua, quæ ipsi Farnesius Cardinalis Se-  
 dis Apostolicæ Legatus pro suo Nepote  
 in Mediolanensem Ducem inaugurando  
 proposuerat, penitus rejecisset, nec non  
 unice Protestantibus complacendi stu-  
 dio eidem huic Legato comitiis assisten-  
 di facultatem abnegasset. Præterea  
 summus Pontifex serio perpendebat,  
 quod Spirensis Conventus Decretum  
 non modo ipsius auctoritati, sed etiam  
 Sedis Apostolicæ dignitati ingens dam-  
 num inferre posset.

## §. XXXII.

*Epistola Pontificis ad Cæsarem pro-  
 pter Spirense Decretum.*

**H**is rationibus permotus Pontifex, sui  
 honoris rationem exigere censebat,  
 ut Cæsari suam indignationem manife-  
 stam redderet: eapropter hanc in rem  
 die vigesima quinta Augusti anno post  
 Christum natum millesimo quingentesi-  
 mo quadragesimo quarto prolixam ad-  
 modum epistolam ad Cæsarem dedit,  
 hujus tenoris: *Quænam Decreta nuper*  
*fue-*

Sæcul. XVI.  
 A C. 1544.